

ORAZIONE

Glorioso S. Niccolò mio special Protettore, da quella sede di luce in cui godete la divina presenza, rivolgete pietoso verso me i vostri occhi, ed impetratemi dal Signore quelle grazie ed ajuti opportuni alle presenti mie necessità sì spirituali che temporali, e specialmente la grazia N. N., qualora sia espediente alla mia eterna salute. Sovvengavi ancora o glorioso santo Vescovo del nostro Sommo Pontefice, della S. Chiesa, e di questa devota Città. Riducete al retto sentiero di salute coloro che vivono immersi nel peccato, o involti nelle tenebre dell'ignoranza dell'errore e dell'eresia. Consolate gli afflitti, provvedete i bisognosi, consolate i pusillanimi, difendete gli oppressi, assistete gl'infermi, e fate sì che tutti sperimentino gli effetti del vostro valedole patrocinio presso il Supremo Datore di ogni bene. Amen. Pater, Ave et Gloria.

v. Orate pro nobis Beate Nicolae.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS

Deus qui Beatum Nicolaum gloriosum Confessorem tuum atque Pontificem innumeris decorasti, et quotidie non cessas illustrare miraculis: tribue quaesumus, ut ejus meritis et precibus a gehennae incendiis et periculis omnibus liberemur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

CDLXI.

DITIONIS LUSITANIAE ET ALGARBIORUM

Quod piis erat in votis Serenissimi Lusitaniae et Algarbiorum Regis fidelissimi Michaelis I de Ecclesia Dei optime meriti Sanctissimus Dominus Noster Gregorius PP. XVI sicut commissae sibi a Divino Redemptore dispensationis ratio exigit ut coelestium munerum thesaurum ad augendam, fovendamque Christi-fidelium pietatem prudenti liberalitate erogare studeat, ad Omnipotentis Dei Gloriam et animarum salutem apostolica auctoritate benigne annuit ut institui et erigi possit in una tantum Ecclesia

de consensu respectivorum Ordinariorum semel eligenda et designanda singularum Urbium sive Locorum sub Dominio temporali Regis fidelissimi in quibus extat Ipsorum Sedes, Confraternitas, seu Sodalitas sub titulo S. Amoris B. M. V. Auxiliatricis iisdem modo et forma quibus Monachii in Ecclesia Parochiali S. Petri, et Pisis in Ecclesia S. Michaelis, respective reperitur canonice erecta cum communicatione et participatione in perpetuum omnium et singularum Indulgentiarum, Privilegiorum ac Bonorum spiritualium juxta ejusdem Sodalitatis Regulas et Statuta, servatis tamen servandis, praesertim Litteris Apostolicis in forma Brevis fel. rec. Clementis PP. VIII sub datum Romae apud S. Petrum 7 Decembris anno millesimo sexcentesimo quarto sui Pontificatus tertio decimo, quarum initium « *Quaecumque a Sede Apostolica* » non obstantibus quibuscumque etiam speciali mentione dignis in contrarium facientibus. Praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulg. die 26 Januarii 1833.

A. CARD. FROSINI PRAEF.

L. Archiep. Athenarum Secret.

CDLXII.

Beatissimae Pater

Die 13 Februarii anno 1826 Lutetiae Parisiorum in suaque Dioecesi de licentia Reverendissimi Archiepiscopi erecta fuit atque instituta pia Societas sub invocatione S. Joannis Francisci Regis ad hoc, ut pauperibus et indigentibus qui in Concubinato vivunt media necessaria praesto sint ad matrimonium contrahendum civicum et religiosum prolesque natas et nascituras legitimas. Quamplurima ex hinc commoda et utilitates in Rempublicam provenerunt, ut ex actis constat ipsiusmet Societatis. Proindeque actualis Moderator ad hoc opus magis magisque fovendum Sanctitatem Vestram humiliter exorat totus ad Sanctissimos Pedes provolutus, ut piae Societati adscriptis et adscribendis concedere digneris.

1.^o *Apostolicam Benedictionem.*

2.^o *Indulgentiam quadraginta dierum tum cum in unum collecti fuerint ad pauperes et indigentes in domum Societatis recipiendos, eosdem simul vel singulariter visitandos atque Dominica vel aliis diebus in rebus fidei instruendos curaverint.*

3.^o *Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum tum cum eisdem assistentiam praestaverint in administratione Sanctissimi Sacramenti Matrimonii.*

4.^o *Eandem pariter Indulgentiam cuicumque ex ipsis qui Patrini vel Matrinae officium exercuerint in administratione Sanctissimi Sacramenti Baptismatis pueris ex dictis Matrimonii natis vel nascituris, quam Indulgentiam acquirere possint etiam ii qui minime Societati adscripti, iisdem tamen actis sese praestabunt.*

5.^o *Indulgentiam Plenariam die 13 Februarii cujuscumque anni anniversarii approbationis piae Societatis.*

6.^o *Indulgentiam similiter Plenariam die 16 Junii in festo Patronali S. Joannis Francisci Regis.*

7.^o *Indulgentiam tandem Plenariam in suffragium fidelium defunctorum applicabilem tum cum unusquisque ex adscriptis et adscribendis Sanctissimam Confessionem et Communionem peregerit die ad arbitrium mensis quo aliquis ex ipsis in viam universae carnis ingressus fuerit. Et Deus etc.*

Sanctissimus Dominus Noster Gregorius PP. XVI attentis expositis benigne annuit pro gratia juxta petita, ea tamen lege ut pro Indulgentiis Plenariis acquirendis si unusquisque ex Christifidelibus adscriptis et adscribendis Piae Societati de qua in precibus canonice erectae, statutis diebus vere poenitens, confessus et S. Communionem relictus propriam Ecclesiam Parochialem et in casu legitimi impedimenti aliam Ecclesiam vel publicum Oratorium devote visitare ibique pro Catholicae religionis incremento et exaltatione, haeresum extirpatione, Principum concordia, atque juxta mentem Summi Pontificis ex toto corde pias ad Deum preces effundere teneatur. Praesenti in perpetuum valituro absque

ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulg. die 28 Februarii 1834.

A. CARD. FROSINI PRAEF.

Lud. Archiep. Athenar. Secret.

CDLXIII.

NULLIUS DIOECESIS SUBLACEN.

Sanctissimus Dominus Noster Gregorius PP. XVI Qui Eremum prope Sublacum Nullius Dioecesis B. Laurentio dicatum summa pietate invisit cum sacrum Specum Divi Patriarchae Benedicti apud omnes pro sua celebritate veneratum devotionis causa nuperrime adivit, omnibus utriusque sexus Christifidelibus dictum Eremum visitantibus ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione et S. Matris Ecclesiae Exaltatione, atque juxta mentem Summi Pontificis Orationem Dominicam Salutationem Angelicam cum *Gloria Patri etc.* enixe per tres vices recitantibus, septem annorum, totidemque quadragenarum Indulgentiam animabus quoque in Purgatorio detentis per modum suffragii applicabilem, ac semel in die ab unoquoque acquirendam misericorditer in Domino concessit. Praesenti ex gratia speciali perpetuis futuris temporibus valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulg. die 2 Junii 1834.

A. CARD. FROSINI PRAEF.

L. Archiep. Athenarum Secret.

CDLXIV.

AUTHENTICITATIS OPUSCULI

VULGO DELLA RACCOLTA DI ORAZIONI ETC.

Octavae Editionis Romanae

Caelestis Indulgentiarum thesauri dispensatio magni semper fuit in Ecclesia momenti *ut Christifidelium devotio augeatur Fides splendesceret spes vigeret et Charitas vehementer incal-*

sceret Sacris proinde Indulgentiis varias pluresque Orationes, ac pia Opera Summi Romani Pontifices ditare omni tempore studuerunt. Sed aliquando immo etiam saepe evenire solet, ut Indulgentiae ipsae, *quarum usus Christiano populo maxime est salutaris* non lucrentur vel quia earum concessiones ignorantur, vel quia ad eas acquirendas quae indiscriminatim in nonnullis opusculis, aut impressis foliis reperiuntur nec singulae nec integrae praescriptae conditiones declarantur. Quamobrem opportunum ac necessarium jamdudum videbatur, ut quamplurimae Orationes, nec non pia opera, praecipue illa quibus ex generalibus concessionibus Summorum Pontificum Indulgentiae sunt adnexae ex suis germanis fontibus fideliter hausta, atque ordine digesta et simul collecta in vulgus ederentur. Id quod erat in votis superioribus annis perfecit alter ex iis, qui a Consultis sunt praelecti hujus Sac. Congregationis Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis praepositae. Praedictas enim Orationes, ac pia opera in unum volumen accurate sed non levi labore redegit, injunctas conditiones pro ipsis Indulgentiis assequendis singillatim exposuit, typisque, *septima vice* evulgavit, annuente ipsa Sac. Congregatione per decretum datum *pridie kal. Maii anni millesimi octingentesimi trigesimi primi*.

Cum vero idem Auctor *Octavam hujusmodi collectionis Romanam editionem magis auctam* modo imprimere studuerit, Eadem Sac. Congregatio prae laudatum Opus haud dubie perutile iterum probat, ac uti authenticum publicari posse censet. Monet tamen, quod si in quacumque ejusdem operis editione seu versione cujuscumque idiomatis tam in Urbe, quam extra exarata, vel quae exarari contingat, dubium aliquod subinde emerit, sive quoad Indulgentiarum concessiones, sive quoad praescriptas conditiones adimplendas, *ad postremam hanc editionem typis Michaelis Perego-Salvioni gnauiter excusam et in ipsius Sac. Congregationis Secretaria asservatam recursus habeatur*, ac praeterea praesens Decretum ut omnibus Christifidelibus patefiat typis pariter tum Itala, tum Latina lingua impressum ad calcem memoratae editionis apponi mandat atque de-

cernit. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulg. ac Sac. Reliquiarum die 13 Junii 1834.

A. CARD. FROSINI PRAEF.

L. Archiep. Athenarum Secret.

CDLXV.

SANCTI SEVERINI

Cum sicut Sanctissimo Domino Nostro Gregorio PP. XVI tum Senatus, tum Populus Civitatis et Dioecesis Sancti Severini humillime exposuerant, quod ut magis Christifidelium pietas ac devotio incrementum suscipiat erga Deiparam Virginem, praesertim sub Invocatione S. Mariae Gratiarum, quae hucusque summa veneratione colitur in Ecclesia S. Recessus Fratrum Minor. Observant. prope dictam civitatem, quam maxime necessarium videretur viam quae modo difficilis praebet, industria et arte prosternere et ad opus perficiendum nonnullas Indulgentias postulabant; hinc Sanctitas Sua supplicantium zelum plurimum in Domino commendans, et fidelium Religionem coelestium munerum largitione fovere et excitare volens, utque Beatissimae Virgini perennes supplicationes ab omnibus porrigantur vehementer exoptans, omnibus Christifidelibus, qui ut facilius ad enunciatum Recessum cunctis aditus patefiat, laboribus tantummodo se ad praefatum iter sternendum praestaverint, quinquaginta dierum Indulgentiam singulis tantum diebus ferialibus lucrificandam peramenter est impertitus. Iis vero qui ad prae laudatum opus absolvendam praecipua quadam assiduitate per Ordinarium determinanda, intenderint, Plenariam Indulgentiam unica dumtaxat vice hujusmodi operis tempore perdurante, die uniuscujusque arbitrio eligenda, in qua vere poenitentes confessi, sacraque fuerint Communione refecti, et aliquam Ecclesiam, visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem ejusdem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint clementer est elargitus, cum facultate quoque praedictas Indulgentias, sive Partialem, sive Plenariam animabus in Purgatorio detentis applicandi. Non obstantibus in contrarium facientibus

quibuscumque. Praesentibus valituris absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 8 Augusti 1835.

C. CARD. CASTRACANE PRAEF.

Hannibal Ginnasi Secret.

CDLXVI.

Beatissimo Padre

Maria Giuseppa de' SS. Cuori di Gesù e Maria Superiora delle Perpetue Adoratrici di Napoli, prostrata ai Piedi di V. S. umilmente espone, che per animare i fedeli a concorrere sempre più colle loro elemosine al mantenimento di questo istituto di perpetua adorazione a Gesù Sacramentato, ha pensato di formare un' associazione a cui tutti i benefattori si ascrivano per una volontaria contribuzione mensile, e mediante questa limosina possano conseguire de' beni spirituali, come viene espressamente indicato nella formola del libretto annesso alla presente supplica. L'Eminentissimo Signor Cardinale Arcivescovo di Napoli vi appose la sua ordinaria approvazione. Ora l'Oratrice implora divotamente da V. S. le Indulgenze accennate nel qui unito libretto a favore degli ascritti benefattori, e di quei che si ascriveranno alla pia Società tendente a promuovere il culto divino. Che etc.

Sanctissimus Dominus Noster Gregorius PP. XVI attentis expositis benigne annuit ut utriusque sexus Christifideles, quo die societati de qua in precibus, modo tamen et forma ab Eminentissimo Ordinario praescribendis nomen dederint, Plenariam Indulgentiam animabus etiam in Purgatorio detentis applicabilem consequentur, dummodo vere poenitentes confessi, sacraque Communionem refecti Monasterii Ecclesiam visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, et juxta mentem Summi Pontificis per aliquod temporis spatium devote oraverint; ac Plenariam etiam Indulgentiam in eadem societate perseverantibus in articulo mortis constitutis rite ut supra dispositis, Sanctissimum Jesu Christi

nomen sin ore corde saltem invocantibus clementer concessit, et centum praeterea dierum Indulgentiam in suffragium defunctorum pariter applicabilem elargitus est a sodalibus toties lucrandum, quoties opere, aut alia quavis ratione pium Institutum perpetuae adorationis adjuverint. Ut autem intelligant coelestis Ecclesiae thesauros non quaestus, aut alicujus lucri causa, sed pietatis, et charitatis exercendae gratia ex Apostolicae Sedis benignitate Christifidelibus aperiri jubet Sanctitas Sua ut collectae eleemosinae arbitrio Eminentissimi Ordinarii fideliter exponantur, et in finem ejusdem instituti conservandi, de ejus Sententia erogentur ad formam Constitutionis sa. me. Clementis PP. VIII sub datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 7 Decembris 1604 cujus initium « *Quaecumque a Sede Apostolica* » ac servatis in reliquis de jure servandis. Praesenti ad septennium valituro absque ulla brevis expeditione.

Datum Romae ex Secret. Sac. Congregationis Indulg.

C. CARD. CASTRACANE PRAEF.

H. Ginnasii Secret.

CDLXVII.

AUTHENTICITATIS OPUSCULI

VULGO DELLA RACCOLTA DI ORAZIONI ETC.

Nonae Editionis Romanae

Caelestis Indulgentiarum thesauri dispensatio magni semper fuit in Ecclesia momenti, *ut Christifidelium devotio augetur, fides splendesceret, spes vigeret, et charitas vehementer incallescere*. Sacris proinde Indulgentiis, varias pluresque orationes, ac pia opera Summi Romani Pontifices ditare omni tempore studuerunt, sed aliquando immo etiam saepe evenire solet ut Indulgentiae ipsae, *quarum usus Christiano Populo maxime est salutaris* non lucrentur, vel quia earum concessionem ignorantur, vel quia ad eas acquirendas, quae indiscriminatim in nonnullis opusculis, aut impressis foliis reperiuntur, nec singulae nec integrae praescriptae conditiones declarantur. Quamobrem opportunum, ac necessarium jamdudum videbatur, ut quamplurimae

Orationes, nec non pia Opera praecipue illa, quibus ex generalibus concessionibus Summorum Pontificum Indulgentiae sunt adnexae ex suis germanis fontibus fideliter hausta atque ordine digesta et simul collecta in vulgus ederentur. Id quod erat in votis superioribus annis perfecit Alter ex iis, qui a Consultis sunt praelecti hujus Sac. Congregationis Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis praepositae. Praedictas enim Orationes, ac pia Opera in unum volumen accurate sed non levi labore redegit, injunctas conditiones pro ipsis Indulgentiis assequendis exposuit, typisque *Octava vice* evulgavit annuente ipsa Sac. Congregatione.

Cum vero idem Auctor Nonam hujusmodi Collectionis Romanam Editionem auctam modo imprimere studuerit, Eadem Sac. Congregatio prae laudatum opus haud dubie perutile iterum probat, ac uti authenticum publicare posse censet. Monet tamen quod si in quacumque ejusdem Operis editione, seu versione cujuscumque idiomatis tam in Urbe, quam extra exarata, vel quae exarari contingat, dubium aliquod subinde emerit, sive quoad Indulgentiarum concessionem, sive quoad praescriptas conditiones adimplendas, ad postremam hanc editionem typis Michaelis Perego-Salvioni gnaviter excusam, et in ipsius Sac. Congregationis Secretaria asservatam recursus habeatur; ac praeterea praesens decretum ut omnibus Christifidelibus patefiat, typis pariter tum Itala, cum Latina lingua impressum ad calcem memoratae editionis apponi mandat atque decernit.

Datum Romae ex Sac. Congregationis Indulgentiarum ac Sacrarum Reliquiarum Secretaria die 30 Septembris 1837.

C. CARD. CASTRACANE PRAEF.

H. Ginnasi S. C. I. Secret.

CDLXVIII.

URBIS ET ORBIS

Sanctissimus Dominus Noster Gregorius PP. XVI attentis expositis universis et singulis utriusque sexus Christifidelibus, corde saltem contrito ac devote sequentem Coronam Stellarum duodecim in honorem B. M. V. recitantibus centum dierum Indul-

gentiam pro qualibet vice lucrificandam, ac perpetuis futuris temporibus valituram peramanter est impertitus absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulg. die 8 Januarii 1838.

C. CARD. CASTRACANE PRAEF.

H. Ginnasi Secret.

CORONA DI DODICI STELLE DELLA B. V. MARIA

Lodiamo e ringraziamo la Santissima Trinità, che ci esibì Maria Vergine di sol vestita, colla luna sotto a' suoi piedi e con in capo misteriosa corona di dodici stelle.

R. In saecula saeculorum. Amen.

Lodiamo e ringraziamo il Divin Padre che per sua Figlia la elesse. R. Amen. Pater noster etc.

Sia lodato il Divin Padre che la predestinò Madre del suo Divin Figliuolo. R. Amen. Ave Maria etc.

Sia lodato il Divin Padre che la preservò da ogni colpa nella sua Concezione. R. Amen. Ave Maria etc.

Sia lodato il Divin Padre che l'adornò di ogni virtù nella sua Natività. R. Amen. Ave Maria etc.

Sia lodato il Divin Padre, che le diè in compagno e sposo purissimo S. Giuseppe. R. Amen. Ave Maria etc.

Sia lodato e ringraziato il Divin Figlio che per sua Madre la scelse. R. Amen. Pater noster etc.

Sia lodato il Divin Figlio, che s'incarnò nel suo seno, e vi abitò nove mesi. R. Amen. Ave Maria etc.

Sia lodato il Divin Figlio che da Lei nacque, e gli diè latte a nudrirlo. R. Amen. Ave Maria etc.

Sia lodato il Divin Figlio che volle essere da Lei in sua puerizia educato. R. Amen. Ave Maria etc.

Sia lodato il Divin Figlio che le rivelò i Misteri della Redenzione del mondo. R. Amen. Ave Maria etc.

Lodiamo e ringraziamo lo Spirito Santo che in sua sposa la ricevè. R. Amen. Pater noster etc.

Sia lodato lo Spirito Santo, che a Lei la prima rivelò il suo nome di Spirito Santo. R. Amen. Ave Maria etc.

Sia lodato lo Spirito Santo per opera del quale fu insieme Vergine e Madre. R. Amen. Ave Maria etc.

Sia lodato lo Spirito Santo per virtù del quale fu tempio vivo della Santissima Trinità. R. Amen. Ave Maria etc.

Sia lodato lo Spirito Santo dal quale fu in Cielo esaltata sopra tutte le creature. R. Amen. Ave Maria etc.

Per l'esaltazione di S. Chiesa, per la propagazione di S. Fede per la pace tra Principi Cristiani, e per l'estirpazione delle eresie. Salve Regina etc.

CDLXIX.

CAMERACEN.

Episcopus Cameracensis quaerit « *Utrum omnino necessariae sint, an non Cruces in quatuordecim Tabulis Stationum Viae Crucis?* »

Sac. Congregatio respondit « *In Ereptione Stationum S. Viae Crucis necessario requiruntur Cruces ad earumdem Stationum Indulgentias assequendas, quemadmodum Presbytero N. Delautre Vicario Generali praefatae Cameracensis Dioecesis alias responsum est die 13 Novembris 1837* » Die 8 Januarii 1838.

CDLXX.

MOLINEN.

Vicarius Generalis Dioecesis Molinensis sequentia dubia Sacrae Congregationi solvenda proposuit.

1.^o *Detecta nullitate alicujus erectionis Stationum Viae Crucis ob defectum executionis conditionum in Apostolico Rescripto, vel de jure praescriptarum, est ne necesse, hujusmodi nullitate sanata iterum benedicere Cruces, et pictas Tabellas jam antea benedictas?*

Sac. Congregatio respondit « *Dummodo nullitas non cadat super Cruces antea benedictas, minime necessarium est, alia nullitate sanata, iterum Cruces benedicere* ».

2.^o *Petitiones pro hujusmodi erectionibus fieri ne debent cui de jure in scriptis sub poena nullitatis concessionis, vel sufficiat quod facta sint oretenus?*

Sac. Congregatio respondit « *Quamquam in scriptis, ac de consensu Ordinarii, et loci patroni optanda sit petitio, tamen si oretenus, sub poena nullitatis: Negative* ».

3.^o *Si hujusmodi erectio nulla detegatur ob omissionem documenti in scriptis talis concessionis, et sequitae executionis, poterit ne hujusmodi defectus in posterum, atque etiam post longum tempus suppleri?*

Sac. Congregatio respondit « *Suppleatur documenti defectui per novas litteras Institutionis, seu Confirmationis ab Ordinario conficiendas, dummodo constet aliunde de sequuta erectione* ».

4.^o *Est ne tempus determinatum, et quale, pro confectione documenti sequitae erectionis Stationum Viae Crucis vigore Apostolici Indulti?*

Sac. Congregatio respondit « *Negative, sed expedit, ut quamprimum conficiatur documentum juxta Apostolicam Concessionem, ne dubia in posterum orientur. Et ita ut supra ad supradicta dubia Eadem Sac. Congregatio respondit et declaravit. Die 27 Januarii 1838.*

CDLXXI.

INCERTI LOCI SABAUDIAE

Nonnulli Sacerdotes Sabaudiae dubia proponunt Sac. Congregationi solvenda.

1.^o *Utrum in idioma gallicum vertere liceat preces quasdam cum Indulgentiis latine, et italice scriptas, et in libro, cui titulus « Raccolta di orazioni, e pie opere coll' Indulgenze relatas? »*

2.^o *Utrum fideles, recitando preces jam dictas sic gallice versas, Indulgentias, ut prius ante versionem lucrentur?*

Sac. Congregatio ad praefata dubia respondit « *In Decreto approbationis opusculi, cui titulus Raccolta di Orazioni etc. a Sacra Indulgentiarum Congregatione pluries evulgato ac praesertim pro Nona Editione sub datum Romae die 30 Septembris 1837*